



5

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
MIASMATIS VENEREI
INDOLE
VARIISQVE CONTAGII EXCIPIENDI
MODIS

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
CAROLO AVGVSTO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE
ET GVESTPHALIAE LANDGRAVIO THVRINGIAE REL.
AVCTORITATE GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMSISQVE IN MEDICINA AC CHIRVURGIA
HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
RITE IMPETRANDIS

A. D. XIII. Ivnii c^occclxxxviii.
PVBLICE DEFENDET
PLACIDAEQVE ERVDITORVM DISQVITIONI, SVMMITTET
AVCTOR
CHRIST. BENEDICTVS GRÜTZMACHER
GEDANENSIS.

I E N A E
LITERIS GOEPFERDTIANIS.



PIIS MANIBVS
P A T R I S
OPTIMI CARISSIMI DESIDERATISSIMI

SACRYM ESSE IVBET

FILIVS GRATISSIMVS.



Nos, qui sequimur probabilia, nec ultra id, quam quod verisimile occurrerit, progredi possumus, et refellere sine pertinacia, et refelli sine iracundia parati sumus.

CIC. TUSCUL. QVAEST.

PROOEMIUM

Veritatis, quae in nos cadit, cognitionem quam saepissime functionibus precariis niti, easque in homines plurimum valere, quis est, qui nesciat? Causae enim rerum non semper insunt iis, quae in sensus nostros incurrunt, assumendum igitur est, et maxima quidem, ut mihi videtur, ratione, aliquid, quod non lubrico constat argumento, ex quo causa continens vel facti cuiusdam, vel phaenomeni verisimiliter et ita intelligi possit, ut difficultates, ab aduersariis sententiae forsan oppositae vel opponendae, firmiter simul ac strenue refutentur. Hoc vero, ni fallor, hypothesisum princeps est consilium, ut ne quis aliquam amplexetur, nisi propius a vero absit, et in veri inquisitione ac indagatione sine ullo praeiudicio versetur. Id quod etiam ad medicos pertinere puto.

Nostris enim potissimum temporibus Cl. HUNTER, vir magni quidem ingenii et arte sua admodum pollens, in paradoxa vero paulo propensior, medicinam inuentis aequae ac hypothesebus ditavit, quarum aliae ingenii magnitudinem et singulare acumen mire testantur, aliae quendam nouaturiendi

A

pru-



prurimum produunt. Etenim nouitate rei nimium delectatus, hypothefibus poffponenda putauit, quae experientia, optima rerum & medicinalis artis magiftra, extra omnem dubitationis aleam poffuille videbatur. Ego uero, ut caecus affentirem, uel auctoritati magni uiri affurgerem, a me ipfe neutiquam impetrare potui. Per plures enim, meo faltem iudicio, perfectarum hypothefium carent forma, cum neque fimpliciori, neque pleniori uia ex illis omnia, ut fas eft, probabiliter explicari poffint. Talis eft hypothefis de *miasmatis ueneri affimilatione*, quam fermentationi, unde phaenomenon hoc aliquantum lucis recipiebat, fupponit a). Deinde certum eft, quo magis conueniat hypothefis cognitae naturae legibus et experientiae indubitatis obferuationibus, eo probabiliozem eam effe reputandam. Sed faepiffime hanc in formanda hypothefi legem ab Cl. HVNTERO neglectam uidebis. E. g. *maffurbationem effe innoxiam munditiem regulis diaetetis in gonorrhoea obferuandis, non effe annumerandam* b) quam Cl. GIRTANNER hac adiecta Ciceronis fententia refellit: *Nihil tam abfurde dici potefl, quod non diflum fit ab aliquo Philofophorum* c). Quod reliquum eft, in Clariffimi Uiri partes tranfire uetat metus ille, quantum equidem puo, nec uanus, nec lymphaticus, ne damnum prorfus irreparabile humano generi hinc inferatur, fi tandem in uulgu propaletur,

et

a) HVNTERS Abhandlung, über uenerifche Krankheiten aus dem Engl. Leipz. 1787. 1ter Th. 1tes Hauptfl. 6ter Abfchn. pag. 33. feq.

b) lib. cit. 2ter Theil, 1tes Hptfl. 3ter Abfchn. pag. 59. fq. Anmerkung.

c) GIRTANNER über die uenerifchen Krankheiten, Göttingen 1788. 1 Th. 2tes Buch 1fte Abtheilung, 7tes Kap. pag. 132. No. 4.

& artis profanis eius hypotheses de *miasmate venereo* innotescant. Ex plurimis hanc vnam saltem asserere liceat: *Gonorrhoea laborantem viro rursus affici non posse, quamvis novo sese exponat contagio. Sic et gonorrhoeam, concumbendo cum infecta, in peius minime verti a).*

Id genus plures inter legendum mihi obuenerunt hypotheses, eaque de re mecum constitueram, vt difficultates, quibus illae premantur, et pericula inde in artem medicinalem ipsam redundatura ingenue indicarem, ac, quousque vires valerent, refutarem. Verum enim vero breue temporis spatium, quod elaborationi sequentis speciminis tribui potuit, ab hoc consilio me iubet desistere, ac eo libentius quidem abstineo, cum Clarissimi viri, FOOTE, GIRTANNER atque SWEDIAVER, nouissima quidem obseruationum circa malum venereum editione, — per plures earum in lucem protraxerint, easque infirmo niti talo fati monstrauerint.

Continui ergo me in ardua quidem, sed non inenodabili disquisitione *de miasmatis venerei indole variisque contagii excipiendi modis*, cum hac de re alius grauius, alius mitius ferat iudicium, alius plures dari formas concedat, alius eas magis speciose, quam vere neget, et nihilofecius multum intersit scire, vtra in parte sit veritas. — Faciam ergo, quae potero, hancque operam, vt humaniter accipias, LECTOR BENEVOLE, semperque recorderis, tyronis hoc primum esse conamen, iterum iterumque oro ac obsecro!

a) lib. cit. pag. 59, 60. seq.

A 2

Intro-

INTRODVCTIO

§. I.

Lues venerea, ad 1493. annum vsque nobis incognita a), vtrum intra Europam nata, an ex America transplantata sit, multo abhinc tempore disputatur. Priori quidem opinioni clarissimi viri, SANCHEZ b) atque HENSLER, c) posteriori ASTRVC d) ac GIRTANNER e) prae caeteris firmiter assentiunt. — Vir Illustris GRVNER, praeceptor in aeternum colendus, malum hoc nouum esse professus est, sed ab Americanis ad nos inuectum esse, plurimis argumentis commotus, passim negauit f), originemque ab Africa portentosa repetiit. Est enim regio meridiana, septentrionali aptior ad venenum et excitandum, et pro-

- a) ASTRVC de morbis venereis. Lutetiae Parisiorum 1738. Lib. I. cap. 4.
b) Dissertation de l'origine de la maladie venerienne, à Paris 1750.
c) *Geschichte der Luftscheuche*, Altona 1783. 1ster Bd.
d) l. c. libr. I. cap. 9.
e) GIRTANNER *Abhandlung über venerische Krankheiten*, Gött. 1788. 1ster Theil, 1stes Buch 1ste Abth. et in specie quidem 4tes Cap. et passim in 2ten et 3ten Theil.
f) *Morbor. Antiquit.* p. 69. *Almanach für Aerzte und Nichtärzte*, Iena, 1783. pag. 311. seq. *Almanach fürs Jahr 1784.* pag. 226. *Ich gewinne und verliere nichts dabei, ob die Luftscheuche aus Amerika, oder Africa kam.* (und das Letzte glaube ich itzt.) Hanc coniecturam vltcrius profecutus est in APHRODISIACI PRAEF. et quatenus Marrani suspecti sint, abunde comprobauit.

promouendum, et omnes fere cutis morbi foedi, et squalidi ex Africa ortum duxerunt. Hinc per analogiam concludi potest, et huius morbi primam in Africanis quaerendam esse originem, propagationem factam per Hispanos. Nuperrime quidem Cl. GIRTANNER hoc argumentum retractauit, ipsumque modum, quo venenum sit ortum et ad nos delatum, testibus permultis muniendum curauit. Sed non defuit aduersarius, Cl. HENSLERVS, qui haec munimenta funditus subruere conaretur, testibusque fidem omnem denegaret, et Italiae soli, tanquam parenti, miasma hoc assignaret^a). Sed mei non est tantam componere litem! Historiam huius morbi mittam, et non, nisi de miasmatis indole diuersisque infectionis speciebus verba faciam.

SECTIO I.

De miasmatis venerei indole diuersisque formis, quibus se prodit.

De miasmatis indole.

§. II.

Equidem non is sum, qui, cum de natura miasmatis venerei quaeritur, aliquid certi vel noui a se in medium afferri posse gloriatur. Etenim ipse HVNTER atque SWEDIAVER, arbitri haud contemnendi, candide sunt professi^b), non, nisi effectus virus venerei nobis esse notos, indolem eius prorsum latere. Neque

A 3

que

a) *Ueber den westindischen Ursprung der Luftseuche, Altona 1789.*

b) HVNTER *Abhandlung über venerische Krankheiten, Leipz. 1787. 1r Th. 1s Hauptst. 3r Abschn.* SWEDIAVER *practische Beobachtungen, über hartnäckige und eingewurzelte venerische Uebel, Wien 1786. 1 Cap.*



que aliter sensisse videntur ASTRUC^{a)} et GIRTANNER^{b)}, consentientibus quibusque suis foedae observatoribus, inde ab eo tempore, quo hominum corpora peruasit. Liceat et tyroni, ut quid de miasmate hoc sentiat, declaret, vsus ad opinionem stabilendam experimentis.

§. III.

Debet vero hoc *occulium miasma* esse *acrimonia* quaedam, ergo *Φλογισ* aliquid continere, quia acrimonia, nisi in igne cogitari non potest. Quam ob rem, quomocumque susceptum fuerit, effectus hos in membro affecto fere producit, ruborem nimirum, dolorem, rossonem ceteraque inflammationis symptomata. Nam vrethram cum obsidet, inflammationem efficit, atque affluxum fluidi ex glandulis mucosis concitat. Si vero intus resorptum est, et ad cutim, ad periosium vel ad alias partes depositum, iterum sequitur inflammatio, et serius ocuus destructio, nisi de tempore malo incipienti occurratur.

§. IV.

Porro *contagium hoc* et *fixum esse* creditur *c)*. Quomodo vero, quaeso, audacter asserere valeamus, venenum hoc sit fixum, an volatile vocandum, cum vera et indubitata eius indoles vsque ad hoc tempus in tenebris lateat? — Magis itaque mihi haec arridet coniectura, hoc virus non, nisi sub forma concentrata atque inuolucro quodam, scilicet pure cincto, corpus afficere posse humanum. Sin autem valde dilutum corpori applicatur, minime venereos creditur producere effectus *d)*. Prius verum esse videtur; Cum vero contactu solo ex corpore alio in aliud transeat, posterius non satis liquet, ideoque nec temere aliquid de-

a) *Libr. II, cap. 2.*

b) *I Th. I Buch. 2 Abth. 3 Cap.*

c) *ASTRUC libro II. cap. 2. GIRTANNER I Buch 2 Abth. 3 Cap.*

d) *CL. HUNTER l. c. I Th. I Hauptst. 4 Absch. Man kan sich wohl vorstellen, dass dieses Gift verdünnt werden kann, dass es keine Kraft mehr hat einen Reiz zu verursachen.*

decernendum est. Id vnum satis notum est, *aere* siue in *distans*, a) ne quidem *per fomitem* b) virus venereum non posse propagari.

Per fomitem quidem sensu latiori inficere non potest, h. e. per linteamina, vestimenta, et sic porro, cum non, nisi hominis infecti sudore madida sint. Sin autem pure venereo sca- tent, et maior, et probabilior est contagii recipiendi c) metus, quia hoc fere proprium cuique humori contagioso est, vt vim nocendi diu retineat, et si quando cum res, tum corpus conueniant, iterum velut ex improviso eam prodat. Miasma variolosum, vel in siccata variola, efficax et praesentissima est contagio, si denuo resoluatur corporique applicetur. Miasma pestilentielle metuitur maxime propter occultam quandam virtutem, qua se rebus porosis insinuat, tenaciter iuhaerescit, et in sanum corpus iterum transit, vbi superhabetur cuti insudanti. Idem ad miasma venereum pertinere puto. Etsi enim potissimum reperiatur eius vis noxia, si cutis sit tenera, lacera, humida, fanioso humori recipiendo apta, vt recte HYNTER, GIRTANNER aliique statuunt; tamen non ideo, quod ceterae viae rariores sint, illico reprobandae, damnandae et pro fictis habendae sunt, vt post ASTRVCVM d) iidem viri clarissimi fecerunt. Subdubitare licet, si quid nobis non e re visum et obseruatum prius est, decernere vero ante sedulam rerum inuestigationem non licet. Credimus solo coitu miasma venereum posse et solere vt plurimum trans- ferri in alios, dari vero possunt, et vere dantur plures conta-
gii

a) Cl. ASTRVC I. c. Libr. II. Cap. I. *Ill. GRVNER Almanach fürs Jahr 1783. pag. 256. So ansteckend — contagium in distans — war das Gift nie, selbst in den ersten Zeiten nicht.* Cl. GIRTANNER. I. c. 1 Buch 2 Abth. 3 Cap.

b) ASTRVC. libr. II. cap. I. pag. 86. GIRTANNER I. c.

c) Cl. HYNTER I. cit. 1 Th. 1 Hauptst. 4 Abschn. *Eine grössere oder geringere Verdünnung des Gifts bringt keine Verschiedenheit in der Wirkung hervor.*

d) Libr. II. Cap. I. p. 97 seq.

gii excipiendi modi, quos ratio et experientia firmant, iique vel certi, vel probabiles. Quidni eos defendam, si res circumstantes et mores aegri hos solos admittant? Fac vero, perpauca extare exempla, tamen melius credo generi humano consultum fore, si in hac arte coniecturali dubiam vel raram contagionis viam feramus, donec veritas extra dubitationis aleam sit posita, quam coniectura metum omnem ex animis civium tollere. Nam falsa mali suspicio nocet nemini, magis vero nimia in negando temeritas atque turpis in adhibendo securitas.

Ex dictis itaque patet, primas dari debere immediato puris contactui, et quidem, si partes affectae tenerae, humidae, glandulis et vasis lymphaticis plenae adsunt, et sic morbum facile contrahi posse, secundas vero pertinere ad alias corporis partes, exceptis intestinis, a) iisque citius tardius damnum posse inferri b).

§. V.

Miasmata venereo proprium est, ut primum lympham inficiat, deinde solida afficiat. Vbicunque ergo vasa decurrunt lymphatica, et glandulae mucosae c) in proximo sunt; poterit virus venerum facile suscipi, paullum latere, subtilior fieri, lymphae admisceri, eamque ita contaminare, ut vel ipsa ossa ma-

a) Cl. GIRTANNER l. c. 1 Buch 2 Abth. 3 Kap. Cl. HVNTER l. c. 6 Th. 1 Hauptst. 1 Absch. pag. 491. et porro l. c. 7 Absch. pag. 516. Quamquam alii scriptores allegarunt exempla, nunquam intestina, e. g. cerebrum, ventriculum, cor etc. vidisse se infecta contendit.

b) HVNTER 6 Th. 2 Hauptst. 1 Absch. et TVRNEVLL An Inquiry in to the origin and antiquit. of the lues vener. Lond. 1786. Praef. p. II. experimento probat, hoc virus stomacho exceptum esse innoxium.

c) Ill. GRVNER *Gemeinschaftlicher Kelch*. Iena, 1785. pag. 23. seq.

maceret *a*), vnam et glandem *b*) perdat, oculos, nares, manus et pedes aliasque corporis auferat partes *c*), ora vlcera occallata faciat *d*), atque scirrhus producat. Itaque interdum partes destruit atque exulcerat, interdum lymphaticum humorem inspissando in callos indurat. Possumus ergo, haec si reputamus, ex effectibus probabiliter concludere, miasma hoc acidae indolis haud esse abfimile, etsi Cl. NESBIT quaedam contra moneat.

§. VI.

Ab experimentis faciendis inopia venerei puris me iubet desistere. Repetii tamen, quod COCKBURN et Cl. GIRTANNER *e*) in medium adduxerant experimentum cum humore gonorrhoeico et violarum succo, coloremque in rubrum transmutari cognoui. Ex hoc (puto) satis intelligitur, virus venereum esse acidum. — Accedit et illud, quod Cl. PEYRILHE *f*) huic morbo profligando aptissimum censet alcali volatile, neque se intra coniecturam continet, sed rem ipsam obseruationibus confirmat. Denique cum omnes fere medici in eo consentiant, luem ipsam ad lymphaticos morbos pertinere, veramque coagulationem lymphae factam ostendant, non opus esse videtur nouis experimentis.

De-

- a*) ASTRUC, GIRTANNER l. c. HUNTER l. c. 3 *Absch.*
b) ALEX. BENEDICT, pag. 39. in Ill. GRVNERI Aphrodis.
c) BENEDICT, l. c. pag. 40.
d) SWEDIAVER l. c. pag. 129. *Venerische Geschwüre zeichnen sich vor andern leicht aus, durch ihre harte Raender, durch die Speckvinde, womit ihr Grund überzogen ist.* caet. GIRTANNER 2 Buch 2 Abth. Einl. p. 202. et l. c. 2 Kap. p. 208. *Venerische Chankre haben immer einen weissen callösen Rand.*
e) L. c. p. 75.
f) *Neues Mittel wider das Vener. Uebel. Bresl. 1787. S. 174.*

B



*De diversis formis quibus miasma venereum se
prodit.*

§. VII.

Disputatum est, utrum miasma venereum sine affecta parte praegressa effectus suos in corporis humani fluidis exercere possit, an non? Sunt, qui affirmant, sunt, qui negant. Verum enim verò *Cl. Astruc* iamiam praeclare: *Frustra in contrarium obiteretur*, inquit, *luem ipso concubitu aliquando concipi, sine praeuia vlla labe in obscenis partibus*, a) et vnum saltem legisse se exemplum apud *BERNARDINVM TOMITANVM* asseuerat, hoc vero argumentis sat grauib. refutare conatur. Et nuperrime *Cl. Girtanner* b) in eo conuenit, luem veneream existere non posse sine notis partis affectae. *Cl. Hunter* quidem in illis, qui sine vlcere praegresso se infectos esse gloriabantur, sedula sub obseruatione cancrum causam infectionis fuisse cognouit, at vero fieri hoc posse, negare non audet c). Neque abhorret *Cl. Swediauer*. Per quindecim, inquit, praxeos annos neminem prima vice, sine praegressa gonorrhoea, vel sine vlcere venereo vidi infectum d).

Re-

a) *Libr. II. Cap. 3. pag. 95.*

b) *I Th. I B. 2 Abth. 2 Cap. et 2 Buch Einleitung, et 4 Buch I Kap.*

c) *5 Theil I Hauptst. pag. 433. Ipsa eius afferam verba: Die einfachste Art der Ansteckung ist, wo Tripper und Chankermaterie auf eine gesunde Oberfläche gebracht, und ohne lokale Wirkung eingefogen werden. — Et paulo post. — Diese Art von Einsaugung kommt selten vor, und würde man die Theile genau untersuchen; so würde man wahrscheinlich einen kleinen Chankre, als Ursache, dazu entdecken. Diese Beobachtung habe ich mehr, als einmal gemacht. Es ist indessen kein kräftiger Grund vorhanden, warum die Einsaugung nicht statt finden könnte.*

d) *I, c. cap. I. pag. 9.*

Redit ergo, quantum equidem video, eo omnis disputa-
tio et controversia, vt contagio se primum eo loco prodatur, quo
applicata sit, praeuio vlcere ac fluore quodam, ideoque tot af-
fumi debeant eius formae, quot reperiuntur loci primum affecti,
quia malum ibi sumfisse primordium videtur, vbi erumpit, fal-
uis et integris caeteris partibus, dein sequuntur effecta in humo-
ribus et solidis. Illa cum in sensus incurrat, rarius fallere po-
test, haec vero vt plurimum naturam suam satis produnt, et om-
ni exceptione maiora sunt, etiamsi prima origo videatur esse
anceps et dubia. Ex his etiam colligitur, dari *morbos venereos*
laruatos, quos nuperrime HUNTER, a) BOSQVILLON b), GIR-
TANNER c) etc. negarunt, SANCHEZ, I. F. SCHWARZE d), HAVS-
MANN, STIEGLITZ e), aliique defenderunt, suis quidem singuli
vsi experimentis et ratiociniis. Falsi enim et in opinione positi
esse nequeunt, cum per analogiam et experientiam confirman-
tur, symptomatibus venereis cognoscantur, remediis antisiphili-
ticis omnium optime profiligentur. Hoc vnum verum est, non
omnes esse tales, qui hoc stigmate notantur, sed non ideo fal-
sum id est, quod nimium est.

§. VIII.

Miasma itaque hoc, in quadam corporis parte depositum,
cum sit naturae acidae, inflammationem producit. Pars affecta,
id est, fecernens, lege physica secretionem istam auget, et
fluidum secretum sibi assimilatur. Vtrum vero hoc secundum Cl.
HUNTERVM g) verum sit pus, an, obseruante Cl. GIRTANNEO h),
mucus, in dubio mihi videtur adhuc esse, cum infirmo talo stent
DARWINI i) de puris criteriis obseruationes, vt Cl. SALMVTH

B 2

su

a) l. c.

b) Elem. de la Medec. pratique par M. Cullen 1782.

c) l. cit.

d) Obs. quasd. med. contin. p. 13.

e) Comm. de morb. vener. laruat. Gott. 1789.

f) l. c.

g) Ister Th. 3tes Hptst.

h) 1r Th. 2te Abth. 2tes Kap.

i) Medical commentaries of Edinburgh. Tom. V. et vers. Kleine
medic. chirurg. Abhandl. P. I. p. 15. seq.



fusus probavit. a) Longe alios quidem venenum effectus producit, si corporis parti non fecerenti applicatur. Tunc, tanquam acrimonia quaedam, epidermidem irritat, affluxus ad partem debiliorem i. e. irritatam augetur, fluidum retinetur, in putredinem vertitur, atque in pus transmutatur, viro venereo simile, epidermidem corrodit, ac vlcus constituit, quod *cancer* nominatur. Haec est *infectio localis*.

§. IX.

Neque intra haec praecepta consistit dubitandi litigandique materia. Ignotum est vsque ad hoc tempus, quomodo fiat, vt integra corporis humani fluida subito in veneream indolem transmutentur. Fuere, qui fermentatione hoc effici putarent; e. g. Cl. ASTRUCA*). Cum vero ad hanc functionem ex legibus chemicis quies requiratur, in parte organisata locum habere non potest. Cl. HUNTER sic explicat hypothesin: Miasma venereum, inquit, primo non, nisi verum pus producere, tunc vero se, tanquam fermentum, illi insinuare, atque sic assimilare potest. Attamen probe intelligens, quam manca et quam parum idonea sit, non sine argumentis hypothesin refutat reicitque b).

Placet tamen aliam, eamque, vt ei videtur, probabiliorē in medium proferre. c) Credit venenum hoc singulari modo partes organicas irritare, et irritationi respondentem inflammationem et pus singulare producere. Ex hac vero hypothesi, qua Cl. auctor effectum, minime vero effectus affert causam, immo vero ex comparatione hypothesi cum occurrentibus morbi venerei symptomatibus nihil sequitur, nisi quod miasma hoc sit acrimonia, vero pure acrior et singularis indolis, et haec hypothesi nihil contradicli inuoluat, quam illa de fermentatione allata, ac itaque magis conformis menti sit humanae.
Hoc

a) SALMVTH Diss. de diagnosi paris, Gotting. 1783.

a*) l. c. lib. II, cap. 4.

b) l. cit. *Isler Th. Isles Hptst. 6ter Abschn.*

c) l. cit.

Hoc vero etiam concesseri, inde tamen non potest explicari, quomodo assimilatio efficiatur, et, salva eadem, cum Cl. GIRTANNEO exclamabo: Quantum est, quod nescimus! — Pre- caria enim sumtio, quae dimittit incertum lectorem, pro in- vtili putanda atque reiicienda est.

§. X.

Si ergo venenum depositum vel sibi permittitur, vel de- strui amplius non potest, tunc a venis lymphaticis resorbetur, quarum ministerio vel ad glandulas defertur, — hinc tumo- res producit — vel sanguini admiscetur, a) denique ad cutem et ossa deponitur, ubi pustulas, ulcera, tophos caeteraque foe- dae luis symptomata gignit. Haec est *universalis infectio*. Quam vero cunque hypothesein amplexeris, miasma isthoc natura sua non, nisi unum est, sed effectum et loco diuersum.

SECTIO II.

De diuersis contagii excipiendi modis.

§ XI.

Arduam rem aggreddior, sententiam meam dicturus de mo- do, quo miasma venereum variis ab corporis partibus recipi pos- sit, et de variis contagionis speciebus, abhorrentem quodammo- do ab illa, quam *Viri Clarissimi*, HUNTER atque GIRTANNER, nuperrime litteris mandarunt. Incredibilis certe est hac in re opinionum diuersitas. Vnus ait, alter negat, et quisque sua se- munit experientia. Sunt alii nimis liberales in admittendis con-

B 3

ta-

a) *Afric.* lib. II, cap. 3, pag. 96, HUNTER *1r Th.* 3s *Hauptst.*
GIRTANNER *4s Buch* 1s *Kap.*



tagii formis, alii nimis liberales in reprobandis. Hinc tyro dubius haeret, nescius, vtra in parte sit veritas. Cum vero nihil sit temere affirmandum vel negandum, ne forte delinquas, lubitum est, solam experientiam, optimam rerum magistram, sequi, nullo auctoritatis praecudicio. Dicam, quae sentio, rationemque, quam fieri potest brevissime, subiiciam. Explicabo vero plures modos, quibus fieri possit infectio, et hic iudicium penes lectores sit. Ego vero credo mihi que persuasum habeo, historiam si exceperis, possibilitatem a priori deductam saepe plus valere, quam Virorum clarissimorum nomina. Cui si forte respondeat experientia, quomodo amplius dubitari possit, equidem non video. Nec refert, saepius, an raro incidat, modo certum sit, hoc nonnunquam vere sic accidisse. Quod reliquum est, me quidem iudice, praestat homines docere possibile periculum, qui ab illo sibi caueant, quam temeraria negatione aliquos in periculum sanitatis coniicere. In hac medicorum ambiguitate ac digladiatione media tutissimus ibis, prudenter res circumstantes distinguendo, nullam opinionem temere affirmando vel rejiciendo. Tunc vero dantur infectiones certae, probabiles, possibiles, falsae. Dispicimus de singulis.

I. Infectiones certae.

§. XII.

In his princeps est

A. Conubitus.

Haec est antiquissima et vtitatissima contagionis reportandae via, inde ab foedae luis exortu. Memorant enim eam. BAPT. FVLGOSVS a), ALEX. BENEDICTVS b), CONRAD. SCHELLIG c), PETR. PINCTOR d), LINTVRIVS e), CLEMENTIUS CLEMEN-

a) Ill. GRVNER *Aphrodisiac*, l. c.

b) *Ibid.* p. 40.

c) *Ib.* p. 49.

d) *Ib.* p. 102.

e) *Ibid.*

MENTINVS *a*), FRANC. GVICCIARDINVS *b*), BERLERVS *c*), LEO AFRICANVS *d*), PAVLL. IOVIVS *e*), IOAN. DE VIGO *f*), SYMPHORIANVS CHAMPERIVS *g*), THEOPHRASTVS PARACELSVS *h*), MAGNVS HVNDT *i*) SEBAST. MONTVVS *h*) IOAN. FERNELIVS *l*) etc. Nec neoterici eam rejiciunt, HVNTER *m*), SWEDIAVER *n*), GIRTANNER *o*), etc. Sed animus non est, multis auctorum nominibus rem ornare atque confirmare, de qua nemo dubitat. — Comparatur quidem malum,

1. Si mulier rem habet cum viro, *gonorrhoea virulenta laborante*, i. e. ex cuius urethra humor effluit *venereus*, siue, vt GIRTANNEO placet, mucus sit nominandus, siue, vt HVNTERO videtur, pus verum, vel cuius genitalia vlcusculis sunt obfessa venereis; *Cancer* eis nomen est. Contra, si vir cum muliere concumbit, cuius partes genitales flore albo venereo madent, vel vlcusculis inquinantur atque eroduntur.

2. Altera via est, si vir cum foemina pernoctat, et noctis quaerit gaudia, cuius genitalia, miasmate venereo sunt conspurcata quidem, sed sine signis. Tunc vir coitum sine metu inibit, sed spolia veneris impurae, inscia et inuita domina, reportabit. Si qua ergo datur differentia, haec sola stituenda videtur, vt in altero casu virus venereum magis concentratum et corrosiuum sit, in altero vero magis dilutum in partem laedendam deferatur. Quaeritur tunc, an miasmatis quantitas maior vel minor vel qualitas diuersa diuersos possit gignere effectus? Hoc Cl. GIRTANNER *p*) assumit, Cl. HVNTER *q*) negat. De quo equidem sic
fen-

a) Ibid.

c) Ibid.

e) Ibid.

g) Ibid.

i) Ibid.

l) Ibid.

n) *ites Kapitel* pag. 13.

o) *2te Abth. ites Kapitel.*

p) l. c. *ites Buch 2te Abth. 2tes Kap. pag. 74.*

q) *Ir Th, 1s Hauptst. 4r Abschnitt.*

b) Ibid.

d) Ibid.

f) Ibid.

h) Ibid.

k) Ibid.

m) *iter Theil 2tes Hauptst.*



sentio, acrius virus, eiusque maiorem quantitatem efficere posse, ut facilius recipiatur intus, effectus vero diversos a diversa pendere corporis constitutione. Simile quid in variolis conspicimus. e. c. Duo saepissime infantes idem habitant cubiculum, quorum alter alterum certissime infecit; (Idem ergo miasma est;) et nihilofecius alter, cuius corporis conditio fuit optima, optimis variolis benignis afficitur, alter vero, cui vermes in intestinis latent, cum variolis confluentibus conflatur, et graubus premitur symptomatibus.

§. XIII.

Plurimos hoc modo, scilicet concubitu, inquinatos videbis, cum hoc actu irritabilitas sit valde aucta, cutisque, calore ampliato, magis fiat apta ad miasma suscipiendum. Magna vero, ut mihi videtur, differentia et hic statuenda est inter genitalia masculina ac foeminina. Glans viri, in se spongiosa, aestu venereo dilatatur, velutique contagio aperit fores, vagina vero, maiori glandularum mucosarum quantitate obsessa velutique munita, venenum muco naturali, eoque sub venereis stimulo vberius affluente, aut breui protrudit, aut obtundit ac hebetat. Ex hoc etiam ratio intelligi potest, quare maior virorum numerus, quam mulierum inficiatur. — Si vero cuius interest scire momenta, quare alter eiusdem aetatis, sexus et constitutionis pronior fit ad contagionem recipiendam, Cl. GIRTANNERVM a) legat, late ac copiose de his exponentem.

§. XIV.

B. Lactatio.

Neque hic desunt testes, quibus haec contagionis via possit stabiliri et confirmari, e. g. multis veterum testimoniis b), ASTRUC, c)
HVN-

a) l. cit. pag. 61. seq.

b) Vid. In. GRVNER Aphrodisiac. et pag. cit.

c) libr. II. cap. I.

HVNTER, a) SWEDIAVER b), GIRTANNER c), NISBET d), SCHMALZ e) etc. Veniet vero vitium partim a *nutrice*, partim, ab *alumno*. Illa inficiet, papillam si habeat vlcusculis obsessam venereis, hic vero, si os et fauces aphthis venereis abundant. Vtroque in casu facilis est exploratio et explicatio. Etenim papillae nutricis, vt virile sub actu venereo membrum, inter lactandum rigidae euadunt, cutis est expansa, corporis cauernosi pori sunt paullo ampliores, et nemo non videt, papillas quam maxime viro venereo imbibendo esse aptas. — Sic etiam et molle infantis corpusculum sub hac aetate tenera non tutum ab contagione est, vtpote spongiosum, porosum velutique fluens, vno hauustu et nutrimentum, et morbum contagiosum ore attrahit. Eadem res est, si vbera foeminae femina f), fluente oris vlcere foeda, exsugit. In his casibus contagio breui insequetur, nec vllus dubitationi locus relinquetur.

Haec vero etsi per se certior est, tamen alteram, quae sine vlcere oris et papillarum esse dicitur, non illico repudianda est, vt Cl. GIRTANNER g) videtur. Experientia et ratio repugnant. Extant exempla feminarum, quoad ad aspectum sanissimarum et nullo papillarum vitio laborantium, quae lactant-

- a) 1ster Th. 2tes Hptst.
- b) 1stes Capit. pag. 13.
- c) 2te Abth. 1stes Kap.
- d) Abhandl. über die Lustseuche, p. 350.
- e) Seltne chir. med. Vorfälle, Leipz. 1784.
- f) VNZERS *medizinisches Handbuch* pag. 245. f. GIRTANNER l. cit.
- g) l. cit. p. 64. So lange sie an blos örtlichen Zufällen, Trippern oder Chancken an den Geburtstheilen leidet, kann sie das Kind nicht anstecken. Die Milch steckt nicht an. — Wenn eine venerische Amme auch anfänglich keine Geschwüre an den Brustwarzen hat, so entstehen doch bald welche, indem durch den Reitz des Saugens das im Körper vorhandene Gift nach den Brustwarzen gelockt wird.



quando puerum sanum et ex honestissima matrona natum foede infecerant, et sub sedula naturalium investigatione fluorem turpem et ulcera canerosa ostenderant. Negat etiam Vir Cl. lac esse contagiosum, et tamen paullo post ait, veneream nutricem posse ab solo lactis affluxu affici ulcusculis mammae venereis. Haec mihi videtur esse contradictio, neque (puto) medicus nutricem, talis cum sit, matronis commendabit.

§. XV.

C. *Vulnere a*).

Euenire hoc potest, si quando virus venereum cuti lacerae humentique immittitur. Nemo hoc negabit, qui meminerit venenum hoc esse eo efficacius, quo sit subtilius, et quo subtilior epidermis cutisque ipsa; eo facilius itaque grauissimos effectus producere posse, si hae partes nudae reperiuntur. An vero, vt Cl. HVNTER *b*) affirmavit, recens vulnus abscessu sit pronius ad isthoc miasma suscipiendum, de hoc equidem dubito, cum constet, pus adipi atque lymphae haud absimile esse, cumque hoc in partibus praecipue lymphaticis atque pinguedine plenis generetur, ac summa viro venereo cum lymphae intercedat affinitas. Id quod nuper Cl. GIRTANNER atque HVNTER ipsi probatum iuerunt. — Mirum ergo non est, si huic contagionis generi quam maxime pateant *obstetrices, medici obstetricii, chirurgi et anatomici a*). Noui enim anatomicos, distingendis calvariae ossibus vel praeparandis partibus intentos, digitos vulnerasse, et ex hac laesione, cum fuissent aegri venerei, varia vitia et ipsum periculosum panaritium reportasse. Caueant ergo et tem-

a) ASTRUC libr. II. cap. I. HVNTER *4ter Th. 1stes Hauptstück*, GIRTANNER, *1stes Buch, 2te Abth. 1stes Kap.* pag. 66. SWEDIAVER, *1. c. Kap. I.* pag. 14.

b) Multa huius infectionis exempla, Cl. SWEDIAVER edidit, pag. 120. s. lib. citati.

temperent sibi ab instrumentis, quorum vsus ad venereos aegros attinet: Latet enim anguis sub herba, et in promptu exempla contagionis vere factae sunt cucurbitularum *) ministerio.

§. XVI.

Species huius infectionis est *dentium transplantatio*, cum et recens ponat vulnus, et inflammationem et vlcusculum: Talem casum nuper memoravit GVIL. WATSON, a) confirmavit Cl. SWEDIAVER b), et Cl. GIRTANNER hoc fieri posse concedit c). At vero negat et pernegat HUNTER d), qui fuerat a consiliis, et malum propius abesse a serophulosa natura contendit. Sed consideranti mihi symptomata dira, insitionem dentis in sanissima foemina illico infrequentia, puta gingivarum inflammationem, vlcerationem, cariem, foeda oris vlcera, turpes faciei pustulas et iuuamentum ab mercurio, videtur morbus insitus fuisse ac vere venereus. Hoc tamen viro Cl. facile concesserim, non omnia morborum genera ideo esse venerea dicenda, quia talia esse videntur, et interdum prudentis medici atque chirurgi esse, iudicium sustinere. Multa affert exempla, quibus coniecturam viterius confirmandam censet, et ita argumentatur. 1) „*Duo aegroti, quibus sub primordio eadem fuerant symptomata, solo dente euulso, in integrum restituti sunt.*„ Cum vero difficile dictu sit, vtrum pus venereae sit indolis, cum hanc operationem et alia possint sequi symptomata; quisque artis peritus probe intelliget, in aliis solum irritamentum inflammationem et suppurationem

C 2

effi-

*) Vid. JORDAN Brunno gallic. Franc. 1577. SPORISCH Idea med. et de Symp. crudel. quae scarif. et cucurb. vsu superuener. ib. 1582. et etiam ap. HORST, Obs. medic. L. II.

a) Medical Transact. Vol. III. et versl. *Sammlung auserlesener Abh. pract. Aerzte*, B. 12. St. I. pag. 12.

b) l. c. *1stes Kap.* pag. 15.

c) l. c. pag. 66. et *4tes Buch*, 23stes Kap. No. 7. pag. 675.

d) *7ter Th. 1stes Hptst. 1r Abschn.*



efficere, in aliis vero et virus venereum superaccedere, et malum grauius inducere. Id quod hoc in casu quidem vsu venisse puto. 2) „*In iis, qui mercurio curati sunt, non dem instituebatur medendi via, quae in iis, qui lue laborant, venerea adhiberi solet.*„ Alia aliis inest corporis conditio atque idiosyncrasia, ideoque et alia curatio prodesse potuit. Sed hoc nihil ad rem nostram. Nam cum, reiteratis vicibus, diuerso temporis spatio, mercurii post applicationem, miasma hoc in cute conspiciebatur, et tandem mercurii sublimati X granis prorsum expellebatur, hoc morbo prae caeteris conueniens fuisse credo, quia auctor ipse exanthema, quantitate priori minus, atque symptomatum malignorum expers fuisse asseuerat. Ex quo certissime constat, virus venereum iam antea prorsus fuisse expulsum. 3) „*Fieri non potest, vt partes, effectus praeternaturales nondum expertae, inficiant alias.*„ Hoc vero minime necesse est, cum pus venereum, minime vero infecta corporis pars, ad veneni requiratur propagationem. 4) „*Ignotum est, vtrum partes inficiendae ipsae fuerint infectae.*„ Aliis verbis idem dicit, quod ante. Erat forsan in animo, partes corporis, in quo miasmatis efficacia non animaduertitur, in alias id deponere non posse. — Cui ego ita respondeo: Minime auctor a primo morbi initio aegrotam vidit, ideoque nec potuit certo explorare, vtrum, cuius dens alteri incuneatus erat, infons fuerit, an non? Si autem, quod quidem vir Cl. non, nisi in transitu memorat, ii, quorum dentibus vsi erant, chirurgis integri visi fuerint, tamen et hoc in dubium poterit vocari, cum vlcuscula saepenumero tam minuta sint, vt vel peritissimi artificis oculos fugere possint a).

In notula supposita dixit Cl. HVNTER. „*Hos morbos venereae indolis fuisse oportet, cum, quorum dentes aliis incunearentur, siue lue venerea, siue morbo faucium cancroso laborassent.*„ Hac qui-

*) SWEDIAVER l. c. pag. 10. de lue venerea, sine praegressa parte affecta, asserens inquit: *Bey einer genauen Untersuchung entdeckte ich ganz kleine venerische Geschwüre.*

quidem confessione, ut mihi videtur, ipse concedit, hanc infectionem esse probabilem, et sic ad credendum inducor, virum Cl. exempla protulisse ideo, ut viderentur morbi, ex translocatione dentium orti, non semper esse venerei. Id quod equidem facile largior.

§. XVII.

D. *Contactu veneni, in omnibus corporis partibus a), ex ceptis intestinis, quod iam supra memoratum est.*

Hanc et ALEX. BENEDICTVS b), CONR. SCHELLIG c), CAPREOLVS, ERASMVS cet. iamiam assumferunt, quippe hoc cum natura miasmatis venerei apprime conueniat. Fieri vero illa poterit

1) *Stuphis s. balneis*, quae fugienda suadent CONR. SCHELLIG d) aliique veteres medici; maximeque hoc attinet ad primam luem epidemicam, contagiosam, pustulis cutis et doloribus insignem. Hodie, cum degenerauit malum, et vsus balneorum communium obsoleuit, minus ab his periculum est.

2) Si quis vlcusculis venereis partem habet obsessam, digitisque pure madidis fricat os, oculos, nares, et sic porro, et manus, praecipue vero partes, epidermide nudatae, viro inficiuntur venereo. Quod et Ill. GRVNER, cui pro multis beneuolentiae documentis in me collocatis publice gratias agere pietas postulat, ingenue affirmat e). Differentia nimirum statuentia est illa. Manus omnesque epidermide tectae partes hac de-

C 3

a) ASTRUC: GIRTANNER locis cit. vbi de vulnere sermo fuit HVNTER *1ster Th. ztes Hpfst.* pag. 38.

b) Aphrod. l. c.

c) Ibid. p. 43.

d) ib. pag. 43.

e) *Der gemeinschaftliche Kelch, Jena 1785.*



tutis rarius inficiuntur, modo breui detergatur virus. Si vero vlcus fluens partes has occupat, multo maius et praesentius periculum est, quia cuticula neque muco est obducta, neque fluidum aliquod fecernit, quo venenum dilui possit atque inuolui.

Si alter cum altero pernoctat, venereo morbo cutaneo laborante, et ille poris apertis, cum aegrotum tetigerit, sudorem pure mixtum imbibere, atque morbi particeps fieri potest. De quo praeclare, vfu proprio edoctus, VLRICVS AB HVTTEN a): *Adde lectos non impuros solum, sed et pestilentes saepe, vbi ille dormierat paucis ante diebus morbo Gallico adesus, vbi leprosus aliquis desudauerat. Lodices sextum ante mensem toti, in quibus se volutarunt morbo si illi, quae multum, si inspicias saniam, multum pus exceperunt. Neque aliter DESID. ERASMVVS b): Neue duo misceantur eodem lecto. Ad hoc in diuersis ne quis hospes indormiat linteis, in quibus alius indormit. Similiter THEOPHR. PARACELSVS c). Negat Cl. GIRTANNER d), sed magis captiose, quam vere, quia vbi pus et tactus adest, ibi et contagii est metus.*

II. PROBABLES.

§. XVIII.

A. *Osculo e). Hoc et omnium seculorum suspertum fuit medicis, DESIDERIO ERASMO f) iudice, cum iubeat vxori,*
sua-

a) ib. b) Colloq. AGAMOS ib.

c) ib.

d) *Ister Th. p. 71. l. h.*

e) Cl.

suauio contrigis opponat manum et armata cum viro dormiat, quin ipse, tollatur mos, quamuis vetulus, salutandi osculo. Similiter FERNELIVS *a*) et innumeri alii, paucis refragantibus. Suauiamur, dum labra labris alterius iungimus. Si ergo intus haeret vlcus fordidum, poterit vel pure solo, vel saliu cum pure mixta infectio fieri, quia labra tenera sunt, et vasis forbentibus plena. Sunt, qui negent hanc infectionis viam, et Cl. GIRTANNER, vt iamiam allegaui, illam in rarissimis numerat, quia infectio localis et externa non, nisi ab saliu purulenta metueda fit. Sed vlcuscula cancrofa in ore ac labiis nuper demum in virgine rustica, integris moribus praedita, nec vilo coitu praegresso contaminata, ab solo impuro et lasciuo militis proci osculo fieri vidit Ill. GRVNER. Quod vero experimentis medicorum satis certum et indubitatum est, id non potest temere negari. Nihil refert, internas, an externas partes inficiat saliu purulenta, modo hoc satis constet, a solo osculo vlcus vel pustulam veneream enatam esse; Hic vero abunde testimoniorum est. Accedit, quod varia dentur osculandi genera, ideoque aliud alio magis suspectum et cauendum est.

§. XIX.

B. *Poculis.* Medici et veteres, et recentiores hanc contagionis viam modo verissimam esse putarunt, modo negarunt, et adhuc sub iudice lis est. Ad priores pertinet DESIDERIVS ERASMVVS, *b*) *Malum comptatiuncula serpit ad alios.* — *Tum feratur lex, ne quis cum alio poculum habeat commune.* Etiam consentiunt LEON. BOTALLVS aliique viri haud contemnentes

c) Cl. SWEDIAVER p. 14. Ill. GRVNER vberius de hac infectione tractauit, multaque allegauit exempla l. c. p. 25. f. Cl. GIRTANNER 1^r Th. 1^{tes} Buch, 2^{te} Abth. 1^{stes} Kap. pag. 65. speciem hanc infectionis non negat, attamen rarissimum hoc inquit esse phaenomenon. AVCTOR cit. 2^{tes} Buch, 2^{te} Abth. 4^{tes} Kap. pag. 210.

f) Colloqu. Agamos. Ibid.



nendae auctoritatis, quos Ill. GRVNER *a)* in medium adduxit. Posterioribus annumerandi sunt HVNTER et nuperrime Cl. GIRTANNER. Fateor vero, me minime argumentis, quae hic maximo contra hanc infectionis speciem profert, conuictum esse, liceat itaque mihi, vt sententiam dicam meam, atque dubitationes eius; quantum potero, paucis refutare coner! — Et quidem cum euictum sit, miasma venereum, applicatum corpori humano, quomodocunque id fiat, proprios gignere posse effectus, non, nisi hoc probandum erit, vtrum reuera hoc modo i. e. poculo, venenum recipi possit; nec ne? Si itaque vlcera in faucibus, oris atrio atque labiis latent, saliuæ, puris iamiam stimulo, dataque poculo irritatione, ex ductibus Stenonianis atque Whartonianis maiori quantitate affluens, puri mananti se immiscebit, atque calici bibendo adhaerebit, ac alter, qui eum spurcatum temere recipit, laboris carpet fructum. — Quaeritur tunc, vtrum vas potarii superficies sit aspera, an polita siue nitens? Si prius est, sane plura pus inueniet interstitia, in quibus morari et reconditum manere potest: Si posterius, saliuæ forsan, in potorium deuecta, potu iungitur ipso. Porro et differentia statuenda est inter illos, qui poculum exhauriant. Alii et etiam infecti, munditiae studio quam saepissime os eluent, minor igitur puris quantitas latebit. Forsan et propter singularem idiosyncrasiam, et ob parcum saliuæ affluxum vehiculum deerit, quo venenum in faucibus atrioque oris absconditum iungi atque emanare possit. Alios vero et impuriore inuenies, et idiosyncrasia alia praeditos. His contrarius euentus erit. Quod reliquum est, frequentior erit infectio, si vlcera, cauo oris, siue — quod periculosissimum est, — labiis adhaereant, ac si faucibus solis lateant. — Positis itaque momentis, quae in explicatione infectionis huius probe attendenda sunt, certe persuasus sum, vitium isthoc hac via ab altero in

a) Der gemeinschaftl. Kelch, nebst einigen historischen und medicinischen Zweifeln, Iena, 1785. p. 35. et die venerische Ansteckung durch gemeinschaftliche Trinkgeschirre und durch den gemeinschaftlichen Kelch, aus Theorie und Erfahrung bewiesen, Weisensfels 1787. p. 24. seq.

in alterum gliscere ac transire, forsitan etiam neglectu in luem veneream transformari. Praeceptor Celeberrimus Ill. GRVNER, huius infectionis casum a) commemorat, aliaque vikorum fide dignorum allegat exempla b). Subspecies huius infectionis esse mihi videtur, quae contrahitur, si plures vno eodemque delectantur *calamo*, quo *fumus herbae nicotianae* trahitur, quorum vnus vlcusculis venereis est inquinatus. Quam et Cl. GIRTANNER non raram esse asserit c), eamque obseruationibus stabiliri posse contendo.

§. XX.

Mirum ergo mihi videtur, Cl. GIRTANNERVM, quanquam fieri posse credit, vt osculo aliquis ac instrumento tali inficiatur, tamen negare, communi et infecto poculo virus propagari posse. Dixit quidem 1) „*Cum non, nisi partes genitales sunt affectae, ab calice infectionem locum habere non posse.*„ Id quod nemo negabit. *Sin autem palatum vlcibus esset inquinatum, fieri forsitan posse, vt saluuae aliquid pure mixtae poculo adhaereat; quo sane effici non posset, vt aliquis insciceretur, cum legibus physicis sit sancitum, iamiam exceptam non retropelli guttulam.*„ Recte haec dixisset Cl. AVCTOR, si omnes homines non, nisi inspirando biberent. Dantur vero quam plurimi, qui non vno haustu sitim restinguunt, ideoque inspirando ac exspirando diutius poculum ori admotum tenent. Tunc vero legibus physicis, vt mihi quidem videtur, fere impossibile est, ne saluuae aliquid cum pure copulatae ex ore protruderetur. Quod quidem minime requiritur, si labiis ipsis insiderent pustulae. „*Cum porro et calicis orae veneno maculatae essent, et sequentis quidem sani tetigissent labia, tamen nullum hoc inferre posse damnum, cum saluua fluido mixta, ventriculum veneni non possit participem facere.* Cum quisque fluido exhausto more sucto, labia abster-

- gat,
- a) Almanach für Aerzte und Nichtärzte aufs Jahr 1785. p. 182.
 b) Der gemeinschaftl. Kelch pag. 34. sq. prae caeteris vero pag. 38. et sic porro allata.
 c) l. c. erster Th. 2tes Buch, 2te Abth., 4tes Kap. pag. 211. Desto öfterer geschieht die Ansteckung unter gemeinen Leuten durch gemeinschaftliche Tobakspfeifen.



gat, ne sic quidem haec virus resorberi posse contendit,, Valde dubito, cum oris cauo tam multa infint vasa resorbentia, an omne, quod ore hausimus, semper in ventriculum deferatur: Sin autem et hoc esset, permultos iamiam vidi, qui morem minime seruant fuetum, ab autore allatum, sed diu retinent in ore humidum.

2) Possibilitatem huius infectionis omni aetate medici summæ auctoritatis negarunt, e. g. FALLOPIVS, ASTRVC, HUNTER,, Certior est demonstratio per exempla, quam per summorum virorum nomina, et nosse refert, qualis sit ista impossibilitas, abfoluta, an relatiua. Illam equidem non video, quia cutis labiorum et oris eadem est, quae reliqua i. e. vasis sorbentibus plena, eamque ob causam similiter viro recipiendo apta; hanc vero facile largior, sed non ideo quaedam infectionis species falsa et damnanda est, quia mihi a vero abesse videtur. Neque hi testes sunt omni exceptione maiores. Iam vero FALLOPIVS a).

„Primus, inquit, temporibus credebatur, ex usu vitrorum atque poculorum posse nasci affectionem istam,, Narrat tunc historiam senis, qui se ob vsum latrinae infectum credidit, qua et laborantes vtebantur, partibus posterioribus vlceratis, paulo post vero exclamat: Vide, quanta morbi istius fuit rubies! Hodie non est timendum hoc. FALLOPIVS ergo minime ipsam possibilitatem huius infectionis negat, crebritatem vel periculum suo tempore subdubitat, narrationes, auitas in medio relinquit. Si vero certa est Cl. SWEDIAVER, Viri peritissimi, experientia, eandem adhuc esse miasmatis venerei naturam, et eisdem etiamnum dari b), sequitur, vt etiam eadem contagionis propagandae ratio pertimescenda sit. — Et ASTRVC etiam non, nisi hoc vrget quod exempla omni exceptione non sint maiora, et in adultis alia, eaque certior via possit cogitari. Iam vero res aliqua non ideo impossibilis est quod de illa possit in vtramque partem disputari vel nonnulli viri et foeminae probabiliorem mali causam mentiantur. Nam si aliqui mentiantur, non illico omnis rei affirmatio dubia vel falsa est. Et si

pu-

a) Libr. De morbo Gallico, cap. 22.

b) 1. c. pag. 16, seq. Die von einigen angeführten Gründen für die Behauptung, daß das venerische Gift ehemals börsartiger gewesen sey, scheinen mir unzuverlässig. Ich habe diese Krankheit in allen ihren Gestalten, nicht an 10 oder 20 sondern an 100 verschiedenen Personen, so heftig und eingewurzelt gesehen, als sie ie ein Schriftsteller des 16 oder 17 Jahrhunderts beschrieben hat.

puellae impuberes, in quas nulla criminis cadit suspicio, integris naturalibus, post pocula communia ore solo prodant miasmatis venerei vestigia, nimis audax mihi videtur, quicumque affirmantis fidem ratiocinibus suspectam reddit. Quin ipse ASTRUC paulo post: *In summa*, inquit, *nollem equidem, eam contagionis viam pertinaciter negare*. Sustinet ergo iudicium, ut arbitrum modestum decet, non praecipitat. — Quod ad CL. HVERTERVM ac GIRTANNERVM attinet, possibilitatem negant ideo, quod in artis exercitio constituti talem contagii modum non viderint. Hac de re vero, ut cuique rem ex aequo aestimanti elucebit, fidem aliorum in suspensionem adducere non licet.

3) „*Vsque ad hoc tempus ne vnum quidem exemplum extare contendit*, et observationes, ab Celeberrimo GRVNERO allegatas, incertas ac in dubium vocandas esse. Ego vero, pace Cl. GIRTANNERI, contrarium et video, et probo. Nam in almanaco memorat Ill. GRVNER, testis oculatus, exemplum, et nuperime aliud simile agnouit; in commentatione ipsa a) aliorum verba profert, qui hanc infectionis speciem se reuera vidisse testantur, Probandum itaque prius erat, viros hosce vel fallere voluisse, vel falli potuisse, usum et dexteritatem, quae ad explorandam facti veritatem desideratur, non adhibuisse, observationes falsas esse, quas litteris consignarunt viri clarissimi, GRVNERVS, ACKERMANNVS, METZGERVS etc. deinde vero dubitationem omnem ex animis hominum eripere. Multa ergo restant aduersario peragenda, donec probetur contrarium. Id vnum forte concedi posset, raros esse casus, tunc vero recte regerit Cl. STIEGLITZ b): *Sunt, qui infectionem e' communi poculorum et lectorum usu negent locum habere posse, sed rationibus non satis certis et evidentibus aucti. Rarum eiusmodi contagionem esse, facile concesseris, impossibile esse neges.* — 4. „*Experientia magistra, certis sumus, usu poculi communis miasma venereum propagari non posse: In Anglia moris est, omnes conuiuias cereuisiam ex communi calice haurire, pueros cum infectis, maritum venereum cum uxore ac liberis sine ulla contagionis metu.* Hunc morem Anglorum veterem, qui, quantum equidem scio, ad plurimos, non ad omnes pertinet, ERASMVS etiam memorat, sed nihil inde sequitur, nisi hoc miasma, venereum interdum sine noxa

D 2

fer-

a) l. c. pag. 46. seq.

b) Dissert. cit. pag. 21.



ferri, (id quod commune habet cum caeteris venenis) et magnam esse consuetudinis vim ad minuendum contagii metum. Si enim hoc in casu vel ipse coitus impurus, teste Cl. GIRTAN-
NERO *a*), sanum virum non amplius laedit; Si tyrones facilius, veterani milites tardius afficiuntur ab eodem miasmate, ex hoc exemplo quidem colligitur, multas res posse impedire, quo minus virus noceat, minime vero vanum esse contagionis metum. Et vnicum quidem exemplum, quo facta infectio comprobatur, maius est multis sumtionibus, ab analogia et opinione petitis. Nonnulli Anglorum et veneri esse possunt, et metus expertes, ideoque aut non sic inficiuntur, aut dubii sunt, vnde ulcera oris venerint. Num vero vxor pura cum viro impuro poculum commune haurire possit sine vlla labe, de hoc fides sit penes auctorem; Nam alius euentus erat in foeminis Variscorum, teste Cl. ACKERMANNO *b*). — Nondum itaque isthaec contagio ad liquidum perducta est *c*), nondum veritas facti confutata, hinc nec vanus contagii metus, nec superuacua medicorum inuestigatio.

§. XXI.

C. Vestimentis.

Hoc quidem suspectum habuit DES. ERASMVS *d*). Belle, inquit, si nihil metuendum est a contactu digitorum, linteorum, pediculis et forcipis. Et RODER. DIACIVS INSVLANVS *e*) ipsam aquam e vestimentis infectorum labem contraxisse statuit. Neque minus hanc contagionem defendit THEOPH. PARACELSVS *f*), et CONR. SCHELLIG *g*) iubet, infectorum vestes et linteamina, ac alia, quae eorum tangunt corpora, saepe mutanda, et fumo odorifero exsiccanda; aliter res istae infectae ac immundae amplius infectum inficerent. Imo vero alio loco *h*) expresse dicit, caueat praesertim quisque, ut camisis, linteis et coopertoriis, imo manutergis, quibus postulati vsi sunt, non approximet, nec eis aliquo modo utatur.

Idem

a) *ir Th. l. c. pag. 63.*

b) Ap. III. GRVNER *Venerische Ansteckung pag. 36. seq.*

c) Sic recte anonymus censor in *Nürnbergger Gelehrte Anzeig. 1789. No. 46.*

d) Colloqu. AGAMOS I. supra cit. *e*) Ap. WELSCH *Observ. Med. p. 31.*

f) III. GRVNER *Aphrod. g*) *ibid. p. 45. h*) *ibid. pag. 49.*

Idem esse, pars ipsa affecta, an pus ex hac parte desumta corpori applicetur, supra iam commemoravi. Itaque linteis viro maculatis et hoc promoueri potest, cum nocturno nimirum tempore calor sit auctus, et pus fluens, et corpus ad illud recipiendum aptissimum. Cl. GIRTANNER quidem in nosocomiis gallicis ignotam esse huius infectionis speciem affirmat; at exemplo, quod memorat, hoc tantum probatur, labem veneream, si quando detegatur, a probabiliori contagione, i. e. coitu, repeti solere atque posse. Neque tamen aliquem adeo leuis mentis esse puto, vt talia industria, sudore infectorum madida, temere velit corpori superhabere. Non ergo potest ratiocinijs minui vel tolli, quod aliorum, vt allegavi, experimentis euictum est. Hoc vnum lubenter concedimus, sub prima lue, quae fordidijs pustulis cutim foedarat, maiorem metum fuisse, iam vero minus periculum, tuncque sit maxime a femoralibus. Hoc etiam fieri non absurdum mihi videtur, cum genitalia potissimum pateant miasmata venereo, et femoralia veneno hoc maculata hinc inde mutua accipiantur. Et recte, vt mihi videtur, Cl. GIRTANNER a) femoralia prae ceteris periculosum esse vestimenti genus contendit, et testem facti HILDANVM nominat, qui probabilem quidem adfert obseruationem, non vero exceptione maiorem.

III. POSSIBILES.

Sequuntur ea contagii recipiendi genera, quae passim affirmantur, passim negantur, neque vero sine omni veri sunt specie.

§. XXII.

A. *Generations.* Hanc originem alii defenderunt, e. g. THEOPHR. PARACELSVS, alii negarunt, certe de ratione, qua foetus inficiatur, inter se disputant, cum alius ipsum patris semen, alius vterum, alius tandem vaginam accuset, ideoque hanc contagionem veluti fortuitam putet. Cl. ASTRVC b) largitur parentum lue venerea infectorum effectus in foetu se prodere posse, v. c. rachitidem, atrophiam, ossium distorsionem cet. hos effectus vero negat miasmata esse proprios. Cl. HUNTER c) euenire posse credit, vt embryo veneni particeps fiat, attamen hoc ab infectis

a) l. c. 1r Th. 1s Buch 2tes Abth. 1te Kap.
c) l. c. 6r Th. 1r Hpsf. 1r Absch. pag. 492.

b) l. c. lib. II, cap. I.



cutis matris humoribus fieri negat, quia in sanguine infecti virus non latere auctor est. Bene novi, Anglos medicos videre, vt omnem pathologiam humoralem, ita et labem veneream sanguine impuro propagandam; sed dubito, an haec anita doctrina ita leuis sit, vt illis videtur. Fac vero, solam lympham esse accusandam, miror Cl. GIRTANNERI a) hypothesein, talem foetum non esse venereum dicendum, nec in vtero infici posse. Non sine specie veri eam dari, demonstrauit NISBET e), et notas certas attulit, quas Cl. GIRTANNER iisdem infantibus ab vtero marcidis attribuit. Relinquitur denique *transitus per vaginam*. Hanc equidem non nego contagionem, vtpote crebriorem, si genitalia matris scatent vlcusculis, sed miror, quomodo infans integer et sanus, lauacro solito purgatus, possit illico foedam luem et recipere, et ostendere. Cadit suspicio, si morbus iam dudum infederat, nutritione matris contractus; Cadit omnis litigandi materia, si duplex statuitur contagio, altera, quae matris venereae humoribus debetur, altera, quae a vulua spurca venit. Medius inter vtramque partem iudex stat Cl. SWEDIAVER b), nescius, vtra in parte sit veritas, ad oppositam tamen paullo propensior.

§. XXIII.

Praemissis hisce sententiis, liceat mihi, quae sentio, publice profiteri. Nolle equidem contagium negare, quod a parentibus ad embryonem defertur. Notum est, venenum resorptum, tanquam metastasin, multos producere effectus, quos luem appellamus veneream.

Si itaque foemina grauida lue hac laborat, omnes eius humores impuri sunt, ergo et sanguis ad foetum delatus, ergo et cutis tenera miasma sorbere, ergo mater puellum edere potest infectum, genitalibus veneno non maculatis. Neque persuadere mihi possum, patrem venereum esse posse, et modo mater sit integra, filium non nasci venereum. Fieri enim debet ab mentula fordida miasmatis insitio, sequi vlcus in feminae naturalibus, propagari malum vasorum lymphaticorum ministerio per reliquum corpus, et induci luem ipsam. Iam vero mater definit esse integra, tota est post coitum impurum venerea,

et

a) L. c. *iter Th.*, p. 431. b) L. c. p. 347. a) Lib. c. pag. 11.

et non potest non embryonem, ob arctissimum vinculum, quod vtrumque intercedit, eadem labe, qua ipsa diuexatur, imbure. Nascetur ergo (puto) infans foeda lue inquinatus, qualem Ill. GRVNER a) memorauit. — Si vera est NESBIT a) et FOOTE b) coniectura, humorem feminalem esse venereo tabo gravidum; Si quid valet argumentatio ab analogia petita, quod scrophulosis scrophulosi, maniaci maniacis creantur, non omnino repudianda videtur vetus opinio. Quam cum mihi defendendam fumo, nolo equidem negare, eam, quae matri debetur, esse crebriorem.

§ XXIV.

B. *Sanguis, saliu, sudor.* Sanguis mihi suspectus esse videtur, etiamsi HVNTER, GIRTANNER aliique viri clarissimi hoc negant et pernegant, quia impurus in impuro corpore esse debet. Eatenus vero non videtur accusandus, quia, recte affirmante NESBIT, subito hinc ad alia loca defertur. Saliua certo inficit, si pure contaminata est c), atque effectus testatur de venenata eius indole. Plures obseruationes auctorum litteris consignauit Ill. GRVNER d), quibus cur fidem temere detraham, non video. — Sudor per se quidem malum non transfert in alios, et eatenus vera est Cl. GIRTANNERI e) assertio de foeminis infectorum curam habentibus; Alia vero res est, si de sudore in communi lecto quaeritur. Tunc quidem terga miscentur, spiracula cutis calore relaxantur et patent, virus venereum facilius resorbetur. Mallem ergo abstineret quisque ab tali confortio; Salus non satis tuta est.

IV. FALSAE.

§. XXV.

Non defuerunt inde ab luis venereae origine medici, qui hanc illamue contagionis formam vel fingerent quodam nouaturiendi pruritu compulsi, vel metu ac terrore anxii statuerent. Sed vltior experientia docuit, eas esse opinabiles vel falsas. Hoc in numero est

§. XXVI.

A. *Aqua benedicta a).* Erant feminae, et castae matronae
fii-

a) l. c. p. 346. b) Obs. upon the new opinions of. Iohn HVNTER p. 93.

c) Cl. SILLI Medicina clinica, Berlin 1786. pag. 208; Wohl aber kann das Gift durch Schweiß, Speichel und Ammenmilch fortgepflanzt werden, vorzüglich durch venerisches Gift.

d) Venerische Ansteckung p. 17. seq. e) L. c. 1r Th. p. 70.

f) FALLORIUS de morbo Gallico cap. 13.



scilicet, quae tali via corpus se polluisse contenderent. Hoc vero vt est per se impossibile, ita excogitatum est, vt veram mali originem dissimularent. Si enim superaccessit corporis miscendi copia, potuit etiam labes foeda contrahi vel intra sacra.

§. XXVII.

B. *Colloquium*. Videtur hac in opinione fuisse DESIDERIVS ERASMVVS: *Nec vno modo translit malum, inquit, sed osculo, sed colloquio, sed contactu, sed compotatiuncula serpit ad alios. Ego vero hunc spiritum nauseosum puto, contagiosum non puto.*

§. XXVIII.

C. *Balnea*. Primis temporibus medici suadent fugienda balnea communia, et recte, partim quia prima lues erat vere epidemica, partim quod corpora pustulis foedis et fluentibus notata deprehendebantur. Sed, mutata morbi forma, abiectioneque balnearum publicorum vsu, vanus profecto metus est.

§. XXIX.

E. *Aer*. Is quidem impurus est in cubiculis aegrorum, sed morbum non propagat. Cum vero veteres medici a) eum passim accusant, concedi forte posset talis contagio sub prima lue vere epidemica et contagiosa, hodie vero minime.

§. XXX.

F. *Timor h)*. Magna eius quidem vis est in excitandis fouendisque morbis, sed neque a priori, neque a posteriori, quod aiunt, probari potest, aliquem sic esse lue turpi affectum. Mittamus ergo metum inanem!

§. XXXI.

G. *Stomachus*. Est haec venenorum quorundam insita vis, vt certo demum loco noceant, maximeque id valet de iis, quae lympham offendunt, quale est virus viperarum, venereum etc. Accedunt et experimenta clarissimorum virorum, HVNTERI c), TVRNBVLL d) et MICHAELIS e), quibus omnis tollitur dubitatio.

Restant forte multa, sed non licet per temporis angustias, vltius in rem ancipitem inquirere.

a) SCHRELLIG l. c. p. 49. et FERNEL, ib. b) PARACELS. l. c.

c) libro cit. pag. 490. et 516.

d) l. c. praefat. p. 6.

e) In notis ad NISBET *Abhandl. über die Lustseuche*, pag. 15.

✓


01 A 6631

ULB Halle
004 931 246

3







DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

MIASMATIS VENEREI
INDOLE
VARIISQUE CONTAGII EXCIPIENDI
MODIS

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
CAROLO AVGVSTO
DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE
ET GVESTPHALIAE LANDBRAVIO THVRINGIAE REL.
AVCTORITATE GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA AC CHIRVURGIA
HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
RITE IMPETRANDIS

A. D. XIII. Ivnii c1813cclxxxviii.
PVBLICE DEFENDET
PLACIDAEQVE ERVDITORVM DISQVITIONI, SVBMITTET
AVCTOR
CHRIST. BENEDICTVS GRÖTZMACHER
GEDANENSIS.

I E N A E
LITERIS GOEPFERDTIANIS.